30332/P (P)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE FEBRE PUERPERALI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

EDVARDUS JOHNSTONE,

BRITANNUS.

Soc. Med. Edin. Sod.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

——— miſeris ſuccurrere diſco. VIRG.

EDINBURGI

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIX.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE
316656

Viro illuſtriſſimo

GULIELMO PULTENEY,

Senatori Britannico integerrimo,

Qui

Antiquam gentis claritatem eruditione,

Fortunas ſplendidas,

Miro vitae candore, et morum modeſtia ornavit,

Cui

Aſpicit, rebus in adverſis,

Sperans Britannia;

Tanto viro

Suis conſuetudine, benignitate, et officiis devinctiſſimus,

Hoc opuſculum,

Gentilitiae et privatae obſervantiae ſummae teſſeram,

Utut parvam,

D. D. D.

EDVARDUS JOHNSTONE.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30383857

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUERPERALI.

FABRICA delicatior, et munera vitae, quibus a natura deſignatur, ſexum pulchriorem et teneriorem multis morbis ſubjiciunt, a quibus viri omnino immunes ſunt; ex his nullus fere gravior, nullus attentione dignior, febre puerperali; quum vero nuper eam graſſantem mihi vidiſſe contigit, et quum leges Academiae jubent, ſummos medicinae honores ambeuntem, aliquid in lucem proferre, pauca de ejus natura, ſede, et cura proponere decrevi.

Ab omni tempore ſat familiaris fuiſſe videtur hic morbus; ſed auctores multum de eo diſſenſerunt.

 Hippo-

Hippocrates morbum accurate deſcripſit, in libro primo * de morbis mulierum, et multa egregia monita ubique ſparguntur per capita xxxvi. xxxvii. xxxviii. xxxix. xl. xli. ubi de non copioſa lochiorum purgatione —— de uterorum ulceribus ex lochiis putrefactis ortis —— de purgationis lochiorum quae tribus vel quatuor primis diebus profluebant perditione —— de muliere ex partu non purgatâ —— et de paululum parciore quam oporteat lochiorum purgatione, eorumque cauſis, ſignis, et ſymptomatibus, tractat. Sed ſigna, cauſae, et methodus medendi ab eo memorata in horum utroque fere communia ſunt, et colliguntur in capite xxxvii. ubi dicit,

"Quum mulieri a partu purgatio fluit, non copioſe procedit, inflammatis nimirum uteris, eorumque oſculo concluſo. Uteri autem ſtomachus in ſeſe undique concidit, poſt puelli diſceſſum. Siquid enim horum adfuerit, ei purgatio non procedet. Si vero ei non procedet purgatio, accedet eam febrire et horrore detineri, et ventrem magnum eſſe; quod ſi eam attigeris, totum corpus dolere, maximeque ſi quis ventrem attigerit; ac multoties ſtomachi morſu vexatur, lumbos dolet, cibi faſtidium adeſt,

* Editio Charter. tom. vii. pag. 751.

adeſt, vigilia, et punctio. Deinde quinto aut ſeptimo die quandoque venter turbatur, et nigra et admodum graveolentia alias atque alias ſecedunt, et urina qualis aſinina redditur. Quae, ſi ſeceſſerint, melius illi eſſe videtur, et curata brevi convaleſcit; ſin minus, periclitabitur vehementi alvi profluvio ipſi ſuccedente, et puerperii purgamenta ſupprimentur. At ſi venter ei non turbetur, neque purgatio ſponte prodeat, neque ei cito idonea exhibeantur remedia, tempus autem progrediatur; multis commemoratis laborabit, ad haecque periclitabitur, ne velut plumbum liveſcat, et in hydropem incidat, eique umbilicus ab uteris ſublatus prominebit, et nigrior ambientibus partibus evadet. Et haec ubi evenerint, ſupereſſe mulier non poterit. Intereunt autem aliae alio tempore, prout corpus et affectio ſe habet. Verum unum ac vigeſimum diem non excedunt; frequentius ita accidit. At, ſi illi vel medicamentis, vel ſponte purgatio eruperit, id etenim accidit, ſi uteri a ſanguine derepente confeſtim delato coacti os relaxarint; ſi, inquam, eruperit, graveolentia et purulenta repurgantur, interdumque etiam nigra; tumque melius erit, et adhibitâ curâ convaleſcet."——In cap. xl.* obſervat, " Pulſus debiles ſunt, interdum vero etiam acuti, modo elati, modo deficientes. Haec ineunte morbo

* Pag 752.

bo patitur, et ſic ſe habet; procedente autem tempore, cavae faciei partes rubeſcunt. Quum ita habuerit, cibos leves exhibito. Et, ſi turgeat, medicamentum deorſum purgans propinato. Poſt hoc autem uteros odoratis foveto, et interdiu emolliens ſubdito."—— * Cap. liv. dicit, " Si ex partu uteri inflammati ſuerint, febris levis corpus detinet, et oculorum caligo; ex ventre vero incendium nunquam deſinit, ſitit, et coxendices dolet, imus venter vehementer intumeſcit, et alvus turbatur, dejectio mala eſt, graveolens; vehemens febris invadit, cibi faſtidium detinet, et ad ſinciput dolor pertingit, neque ventriculi ſtomachus potus et cibos attrahere, neque etiam coquere poteſt. Ac niſi ſtatim curentur, plurimae intereunt."

Hippocratis opinionem ſecuti ſunt plerique veterum medicorum, et imprimis Paulus Ægineta †, in cujus operibus optima extat hujus morbi deſcriptio, et Actius ‡, qui etiam bene hanc febrem deſcripſit, quamvis non dixerit morbum puerperis proprium eſſe; et Andreas Caeſalpinus || in collectione ejus egregia e medicis vetuſtis.

Syden-

* Pag. 758.

† Lib. iii. cap. 64.

‡ Lib. xvi. cap. 85. pag. 162.

|| Cap. 20. p. 666.

Sydenhamus nuſquam tradidit plenam hujus morbi hiſtoriam; ſed, in * diſſertatione epiſtolari ejus ad Doctorem Cole, reperimus quaedam egregia monita de hoc morbo.

" Nonnunquam poſt lochiorum ſuppreſſionem in febrem incidunt, quae vel earum, quae tum graſſantur, epidemicarum caſtra tranſit, vel ab ea ſola pendet origine. Adde, quod iidem affectus hyſterici, quibus lochiorum ſuppreſſio imprimis debetur, jam magis ſaeviunt, tanquam ex ſe denuo nati. Diu eſt a quo mihi ſubit in mentem, quod ex eis quae moriuntur puerperis, vix decima quaeque, ut modeſte computemus, vel ex eo perit, quod vires partui neceſſariae eam defecerint, vel ex doloribus partum laborioſiorem comitantibus; at eo maxime nomine, quod debito citius lecto exſurgat, excitatis a motu illo paroxyſmis hyſtericis, a quibus cum ſiſtantur lochia, mox ingens ineluctabilium ſymptomatum turba ingruit. Quamobrem iſtis, quae me audiunt, ubique auctor ſum, ut ad diem ſaltem decimum uſque in lecto ſe contineant, ſi modo natura paulo debiliores ſint, praecipue ſi vaporibus, qui vulgo dicuntur, jamjam pridem fuerint tentatae.

" Hic

* Edit. Lug. Bat. p. 422.

" Hic laudanum, quantumlibet ſuapte indole aſtringat, cum tamen ſpirituum perturbationem, a qua ſolennis lochiorum evacuatio fuerat interrupta, compeſcat, quandoque plurimum juvare, et emmenagogis nihil proficientibus, lochiorum fluxum poſtliminio revocare poſſit. Commodiſſime vero narcotica una cum hyſtericis, et emmenagogis propinantur, v. g. laud. liquidi gutt. XLV. in aquâ Bryoniae compoſita; vel laudani in forma ſolida granam unam ſemis, cum ſcrupulo dimidio aſſae foetidae, in pilulas duas redactum. Sedulo interim animadvertendum eſt, quod ſi telo hoc ſemel miſſo non ſcopum attingamus, nec ſequuntur lochia, opium nullo modo eſt repetendum, ut in aliis caſibus fieri ſolet ac debet: Etenim, ſi reiteretur hic paregoricum, lochia ita potenter ſiſtet, ut ea nulla deinceps arte provocari queant. Verum enim vero, ſi et hoc minus ſuccedat (interjecto aliquo temporis ſpatio, quo certiores ſimus quid iſtud praeſtiterit) ad medicamenta iterum emmenagoga, hyſtericis permixta, redeundum eſt, et dein ad enematis ex lacte ſaccharato injectionem. Verum quod de opio ſupra, hic de enematis dicendum eſt; niſi enim primo injectum lochia educat, nihil prorſus a pluribus eſt ſperandum: Cum unum humores leniter ſollicitando, ut fluunt lochia efficere poſſit, plura vero eadem alio divertant.

" Quod

"Quod quidem uti de acutorum pleriſque vere affirmatur, ita praecipue de puerperarum morbis, quibus error, vel leviuſculus, fatalis eſſe poſſit; et in quibus ita parum valeamus naturalem illam evacuationem regere, a cujus ſuppreſſione mala, de quibus diximus, proveniant."

Hoffmannus quoque, in capite ſuo de hac febre, cum aliis aſſentitur, et ſectiones aliquot cadaverum dedit ad probandam ſententiam ſuam, in quibus uterus manifeſte affectus apparuit, commendat venaeſectionem, et purgativa aloetica vel emmenagoga, ad fluxum lochialem revocandum.

Boerhaavius, in aphoriſmo ejus 1329. dicit. "Dum fluit ab uteri vaſis reſtrictis in mammas pabulum ſeroſum lacteum, febricula exoritur, qua orta, ſaepe lochia omnino retinentur; unde infinita, et peſſimae indolis, ſymptomata, prout in hoc illudve viſcus rapiuntur; hinc phrenitides, pleuritides, peripnemoniae, anginae, paraphrenitides, mammarum inflammationes, pejor hepatis, ventriculi, omenti, meſenterii, lienis, renum, inteſtinorum, tum dyſenteria, colica, iliaca, apoplexia, paralyſis, et multiplex ſane mali ſpecies." Verum (quod ſane mirum videtur) poſtea,

poſtea, in aphoriſmo 1332. monet, " Venaeſectio haud facile nec niſi urgente ſumma neceſſitate adhiberi poteſt." Hic error fortaſſe oritur a ſententia ſuperſtitioſa, fluxum lochialem venenatae ac putridae naturae eſſe, igiturque morbum inductum non aliter pulſum iri, niſi fluxu ipſo reſtituto.

Commentator ejus Van Swieten hunc errorem corrigit, et caſus enarrat in quibus ſanguinis miſſio neceſſaria ſit. Ille quidem credidit lactis corrupti metaſtaſin hujus morbi cauſam eſſe, putans ſerum et purem in cadaveribus inventum lac corruptum eſſe; ſed, theoriis miſſis, multa de hac febre egregia ſcripſit in ſect. 1329. and 1331. praeſertim, p. 613.

" Non tamen in illa opinione ſum, ac ſi lochia retenta nullum facerent periculum; ſed tantum hoc monendum eſſe credidi, etiam de depoſitione materiae lacteae ad varia loca corporis, cogitandum eſſe. Lochia enim naturaliter minuuntur illo tempore, quo febris lactaria ſolet incipere, et vix ſanguinea fluunt tunc, ſed potius ſubpurulenta. Primis autem diebus puerperii magis videtur eſſe a lochiis retentis periculum; ſequentibus diebus, poſt febrim lactariam, minus; ita tamen, ut ſi retineretur

illud

illud purulentum, quod tunc exire ſolet, ab ejus reſorptione in ſanguinem multum mali metuendum foret. Accedit, quod, laeſo in partu utero, ejus inflammatio ſaepe ſequatur; unde lochia ſupprimuntur; de quibus nunc dicendum erit.

" Dum, excluſo foetu, placenta ſeparatur, copia ſanguinis exit, quae brevi poſtea minuitur; et tunc lochia minus rubro colore tincta fluunt. Aëris acceſſus liber tunc adfuit, neque ille poſtea omnino impediri poterit; hinc ſemper metuenda eſt cita putredo ſanguinis, et aliorum humorum, qui in cavo uteri, vel in ſinubus qui in ipſa ſubſtantia uteri adſunt, retinentur. Calor loci, humiditas, aëris acceſſus putredini extravaſatorum et ſtagnantium humorum omnino favent: Idem metuendum eſt a placentae ſolutae reliquiis; quamdiu enim adhuc integra utero adhaeret, credibile eſt, humorum circumductionem adhuc pergere per placentam, adeoque illam non tam cito putreſcere. Si autem extravaſati humores libere exeant, a putredine nihil metuendum erit. A mora ergo in cavo vel ſinubus uteri imprimis metuendum eſt, ne putreſcant extravaſata, uterum ipſum male afficiant, et reſorpta peſſimas febres producant, vel, ad alia corporis loca depoſita, et illa putredine inficiant. Si

enim tot et tanta mala fiant a blanda materia lactea, quid non metuendum erit ab ichore putrido?

"Alvi perturbatio per quam, nondum omnino fractis viribus, expellitur illud corruptum, ſalutaris eſt; verum ubi, diutius protracto morbo, omnes fere corporis humores in putrilaginem ſoluti ſunt, tunc vehementi alvi profluvio perire ſolent; unde ſimul patet, non omne alvi profluvium in puerperio ſemper timendum eſſe: Haec tamen opinio multorum animis inſedit, poſtquam viderant, a lochiis ſuppreſſis tandem colliquativo alvi fluxu perire puerperas. Probe memini, dum puerperae, gemellos enixae, curam gererem, me peſſime acceptum fuiſſe ab adſtantibus, dum nollem alvi fluxum compeſcere. Tertia die lochia omnino ſuppreſſa fuerant; venter durus et dolens erat. Molliſſimis fomentis adhibitis, leniſſimis aperientibus decoctis copioſe potatis, per alvum exiverunt viridia, foetidiſſima, et quidem cum inſigni levamine; ac brevi convaluit."

Quoque in Mem. de l'Academie Royale des Sciences, de l'Année 1746 *, hujus febris hiſtoria, et ea in cadaverum ſectionibus inventa, bene deſcripta ſunt. "Il a regné pendant l'hiver de 1746, une maladie épidémique parmi

* Tom. 4. 4to, p. 161.

parmi les femmes en couche. Mr de Juſſieu a le premier obſervé cette maladie; elle commençoit par le dévoiement, ou par une diſpoſition au dévoiement, qui continuoit pendant la couche: Les eaux qui accompagnent ordinairement la naiſſance de l'enfant, ſortoient pendant le travail de l'accouchement; mais aprés ce temps, la matrice devenoit ſèche, dure, et douloureuſe, elle étoit enflée, et les vuidanges n'avoient pas leur cours ordinaire.

"Enſuite, ces femmes étoient priſes de douleurs dans les entrailles, ſur-tout dans les parties qu'occupent les ligamens larges de la matrice, le ventre étoit tendu; et tous ces accidens étoient accompagnés d'une douleur de tête et quelquefois de la toux.

"Le troiſiéme et le quatrième jour après l'accouchement, les mamelles ſe flêtriſſoient, au-lieu qu'elles durciſſent et ſe gonflent naturellement dans ce temps par le lait qui s'y filtre alors en plus grande quantité: Enfin, ces femmes mouroient entre le cinquiéme et le ſeptiéme jour de l'accouchement.

"Cette

" Cette maladie n'a attaqué que les pauvres ſemmes, et elle n'a pas été auſſi violente, ni auſſi commune, parmi les pauvres femmes qui ont accouché ches ellez, que parmi celles qui ont été accouchées à l'Hotel-Dieu ; on a remarqué, que dans le mois de Février, de vingt de ces ſemmes malades en couche à l'Hotel-Dieu, à peine en échappoit-il une : Cette maladie n'a pas été ſi meurtrière dans le reſte de l'hiver. Mrs Col de Villars et Fontaine, medecins de cet hôpital, nous ont rapporté, qu'à l'ouverture des cadavres de ces femmes, ils avoient vu du lait caillé et attaché à la ſurface externe des inteſtins, et qu'il y avoit une ſéroſité laiteuſe épanchée dans le bas-ventre ; ils ont même trouvé auſſi de cette ſéroſité dans la poitrine de quelques unes ; et lorſqu'on en coupoit les poumons, ils dégorgeoient une lymphe laiteuſe et pourrie.

" L'eſtomac, les inteſtins, et la matrice bien examinés, paroiſſoient avoir été enflammés, et il eſt ſorti, ſuivant le rapport de ces deux médecins, des grumeaux de ſang, à l'ouverture des canaux de la matrice.

" Dans pluſieurs de ces femmes, les ovaires paroiſſoient avoir éte en ſuppuration."

Scriptores

Scriptores vero recentiores de hac re, et qui quaſi novam hujus morbi epocham introduxerunt, medici ſpectatiſſimi Hulme et Leake, a veteribus diſſentientes, opinati ſunt inteſtina et omentum primo et praecipue affici, et uterum omnino morbo carere. Practicae obſervationes eorum eximiae ſunt, et bene merentur medicorum attentionem.

Medicus quoque eruditus C. Whytte, in tractatu ſuo de *puerperarum regimine*, meminit febris puerperalis, et eam omnino putridae cauſae tribuit.

Priuſquam de his ſententiis tam diverſis conſideratur, ad morbi hiſtoriam, et ea quae ſectiones cadaverum oſtendunt, tranſeundum eſt, quibus facilius noſtra quoque opinio interponi poſſit.

MORBI HISTORIA.

Obſervatione dignum eſt, etſi nullae poſt partum omnino immunes ſunt ab impetu febris puerperalis, tamen hoc morbo mulieres graciles, delicatiores, et irritabiliores

praecipue

praecipue affici. Saepe ſubſequitur apparentes cauſas excitantes, veluti errores in diaeta, praeſertim uſum cibi animalis praematurum, aut lectum nimis cito relictum, dolorem et animi affectus graviores; attamen crebro aggreditur ſine ulla cauſa apparente, et partus facillimos aeque ac difficillimos ſectatur, praeſertim ſi ulla febris epidemica tunc temporis in vicinia graſſetur. In Noſocomio Pariſienſe Hotel de Dieu, anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, et apud Londinenſes verſus finem anni mill ſept. ſexuageſimi noni, et initio anni ſequentis, et in Vigorniae comitatu, praecipue apud Kiddermonaſterienſes, anno mill. ſept. ſeptuageſimo ſeptimo, plurimae puerperae tali morbo afficiebantur.

Morbi haec fere eſt forma, hic curſus et exitus. Die ſecundo vel tertio poſt partum, citius ſerius, ſed praecipue inter primum et quintum, interdum multo ſerius, mulier univerſo corporis languore, nauſea, et capitis dolore corripitur; partes extremae frigeſcunt, tremor ſuccedit, omniaque ſigna frigidi acceſſus febris. Hic frigidus acceſſus nonnunquam violentiſſimus eſt, interdum vero levior; tamen obſervatum eſt a medicis, febres puerperales peſſimas ſectatas fuiſſe tremorem vix perceptibilem, aeque ac acceſſum acerrimum. Brevi poſt tremorem, calor ſucce-

dit,

dit, cum dolore regionis hypogaſtricae, imprimis circa os pubis, ingraveſcente vero morbo, per totum abdomen gradatim ſerpente, adeoque acuto, ut ne tactus vel leviſſimus tolerabilis ſit. Cutis fere calida et ſicca; ſitis magna; lingua albida et humida, donec ad extrema ventum fuerit, tum quidem plerumque ſicca, arida, et nigra evadit.

Initio pulſus varius, plerumque velociſſimus et validus. Spiritus brevis, ſcilicet, aegre trahitur propter abdominis dolorem, quem motus vel leviſſimus immaniter auget.

Morbo progrediente, dolor abdominis altius ac latius diffunditur, et acrior fit; alvus tumeſcit interdum mirum in modum, et turget; pulſus celeriores et debiliores ſaepe ante mortem vix diſtinguendi. Aliquot horis ante obitum abdominis dolor ceſſat, ſtupor quidam, et aliquando delirium, obrepit, et aegra fato fungitur, plerumque abſque multo dolore, interdum autem graviſſimis cum cruciatibus.

Per totum fere morbum, cephalalgia cum vigilia pertinace aegram vexat, animi deprimuntur, et oculi et vultus triſtes et anxii apparent. Lochia a primo morbi impetu ſupprimuntur, aut ſaltem multum retardantur, vix reditura,

tura, donec morbus decreverit, et tunc quidem foetidiſſima plerumque excernuntur. Aliquando vero in ſtadio putrido, fluxus vehementiſſimus ſupervenit, et aegram e medio tollit. Lactis quoque ſecretio plerumque vel multum imminuitur, vel prorſus ſupprimitur. Alvus ſaepe ab initio aſtricta per totum fere morbi curſum, nullis medicamentis movetur, peſſimi ominis ſignum: Interdum vero diarrhoea ſupervenit; et ſi ſatis matura fuerit et conſtans morbum optime ſolvit, ſed tardius accedens plerumque putrida et foetidiſſima eſt, et colliquativa, aegram ſaepe e medio ſublatura. Per totum morbum, aegra de nauſea et vomitu queritur, et, paulo ante obitum, viridis aut niger vomitus accedit.

Initio urina difficulter redditur, et paulatim, et plerumque fuſci coloris eſt. Sanguis, initio morbi miſſus, tunica coriacea obducitur.

Interdum inflammatio eryſipelatoſa eſt, et tunc quidem dolor in abdomine minor; ſed major calor et ardor, cum pulſu minore et citatiore, et eryſipelas externum erumpit, ut ipſe ſemel vidi, ubi violentum erat cruris eryſipelas; et pater etiam mihi caſum enarravit, ubi die ante mortem brachii eryſipelas apparuit. His in caſibus aegrotae

magis

magis ſolito inquietae ſunt, et morbus ſaepe diu protrahitur, plerumque tamen lethalis evaſurus.

Haec ſunt morbi ſigna communia; ſed varia in variis caſibus ſymptomata; et hic morbus, ut Sydenhamus bene monuit, fere induit febris epidemicae, tunc graſſantis, formam. Haec haud ſecus ac aliae inflammationes deſinit vel reſolutione, vel ſuppuratione, vel gangraena. Sed uteri inflammatio gravior ſaepe omnes functiones encephali adeo turbat et opprimit, ut mors ſequatur, antequam varii inflammationis exitus locum habere poſſunt. Reſolutio optima eſt, et fere accidit, ſi aegra convaleſcat, et fit aliquando quatuor et viginti horarum ſpatio, ſed plerumque die quarto vel quinto, nonnunquam, ſed raro, decimo vel duodecimo.

Suppuratio eſt omnium rariſſima, ſed nonnunquam obſervatur; abſceſſus nati regione hypogaſtricâ vel cito interimunt, vel febres hecticas periculoſas inducunt, atque ita paulatim aegram conſumunt. In quibuſdam caſibus abſceſſus extrinſecus viam ſibi aperit, qua pus excernatur; et in aliis veriſimile eſt vaginam eroſam fuiſſe; quoniam materies purulenta inde manavit; et inteſtina etiam ipſa nonnunquam eroſa ſunt, teſtante hiſtoriâ ſequente.

M. C. cito poſt partum hac febre laboravit, quae maximâ ex parte ſublata fuit clyſmatibus et regimine antiphlogiſto; abdominis vero doloribus ſaepe recurrentibus, et alvo admodum aſtrictâ. Sexto circiter poſt partum hebdomade, ubi pater meus primum eam inviſit, queſta eſt de magno hypogaſtrii dolore et alvo adeo aſtrictâ, ut non niſi validiſſimis catharticis moveretur. Pulſus erat debilis et hecticus, cum ſudoribus nocturnis. Tandem doloribus valde excruciabatur, et vomitus inſecutus eſt; pulſus depreſſi, et ſudores frigidi erant. Huic morbi ſtatui diarrhoea acceſſit, quae per aliquot dies duravit, donec coagulata, albida, et purulenta ſanies, eam omnino referens, quae reperta eſt in cadaveribus hâc febre aſſumptarum, evacuabatur. Medici manum ad latus ſiniſtrum aegra admovit, ubi dolorem acutiſſimum eſſe dixit, et ubi profundus tumor et durities plane ſentiebantur. In hoc caſu haud dubium eſt, quin ſanies purulenta, quaedam inteſtinorum erodens, et inde demum excreta dolorem acutum et inflammationem effeciſſet, quae aegram pene e medio ſuſtuliſſet. Convaluit tandem et nunc integra eſt, et doloris expers, et alvus ſponte deponitur.

Tertia

Tertia et nimis frequens hujus morbi terminatio gangraena eſt, quae ne accedat, ſummâ ope nitendum eſt; nam, ſimul ac invaſerit, actum eſt de aegrâ. Proclivitas hujus morbi ad gangraenam oriri videtur a putridâ abſorptione ex uteri cavo, quae lochiorum ſuppreſſionem ſubſequitur; et veriſimile eſt lochiorum evacuationem cum aliis hoc modo prodeſſe, quod hujuſmodi abſorptionem prorſus impediat. Gangraena cognoſcitur a dolore ſubito ceſſante, quum ſimul pulſus fiunt celeriores et debiliores, vultus pallidus, labra livida, oculi obſcuri et demerſi, ſpiritus brevis et anxius, ſtupore quoque obrepente, et ſtercore, inſciâ aegrâ, elabente.

Hoc evenit aliquando a die quinto vel ſexto, alias autem non ante duodecimum, aut etiam ſerius.

Nunc ad ea, quae Cadaverum ſectiones oſtenderunt.

M. P. Mulier annorum viginti quatuor, die ſecundo poſt primum partum, febre puerperali vehementiſſimâ correpta eſt. Pater ad eam in auxilium vocatus eſt die morbi tertio. Pulſus velociſſimus et vacillans erat, ſed ſaepe fortioribus cum ictibus. Dolor hypogaſtrii per intervalla rediens, tamque immanis ut aegra miſere ejula-

ret.

ret. Abdomen inflatum eſt et tactûs impatiens, et alvus aſtricta; urina naturalis; lac et lochia a primo morbi acceſſu ſuppreſſa fuerant; nauſea et ſitis moleſtiſſima, et potûs gelidi maxima appetentia. Nullam cauſam excitantem noverat. Ptyſana et decoctum avenaceum pro potu communi praeſcripta fuerunt, et clyſma quotidie injiciendum.

Hauſtus * quoque aperientes, ſanguinis e brachio detractio ad unc. viii. et emplaſtra veſicatoria hypogaſtrio applicari, juſſa ſunt.

Sanguis tegebatur tunicâ coriaceâ; et ſanguinis miſſio iterum juſſa eſt, ſed neglecta. Hauſtus alvum movit; ſed parcus et putridus fluor ab utero apparuit, et plurima materia atra vomitu emittitur. Pulſus velociſſimus; vigilia conſtans; ſed dolor paulatim mitigabatur poſt ſanguinem

* R. Tart. emet. gr. i. Pulv. rhei, ſcrup. ii. Succ. limon. recent. expreſſ. (fiat ſaturatio cum ſale abyſinth. q. ſ.) Aq. fontan. $\overline{aa}$ unc. ii. Sacch. alb. drach. ii. m. et divide in hauſt. iv. quorum cap. unum mane et veſp.

R. Succ. limon. rec. expreſſ. unc. j. Sal. abſinth. drach. i. Aq. font. Aq. cin. ten. $\overline{aa}$ unc. iii. Sacch. limon. unc. ſs. fiat miſt. cujus cap. cochl. ii. tertia quaque hora.

ſanguinem miſſum et veſicatorium applicatum. Lanulae, infuſionibus chamomaeli madefactae, abdomini applicabantur.

Fato functa eſt veſpere proximo; et, ſecto cadavere, uterus apparuit contractus, uſque ad molem lagenae rotundae libram continentis, et omnino obtectus eſt membranâ tenace purulentâ, qualis omnes partes internas inflammatas tegit. Rubore notabili obducta ſunt fundus uteri et ovaria; ad latus uteri utrumque cochlearia duo vel tria puris craſſi, et multum ſerum inventa fuerunt. Caecum caput coli, totum colon, et epiploon valde inflammata erant; ſed ſatis apparuit inflammationem uteri primariam induxiſſe irritationem et inflammationem inteſtinorum ſenſibiliorum. Coli inflatio magnum abdominis tumorem fecerat. Omentum plerumque valde inflammatum et ſuppuratione conſumptum invenitur; ſed non ſemper, cujus exempla extant in operibus Hulme et Leake et Hoffmanni, qui ſectiones plurimas hujuſmodi tradiderunt. Sectiones cadaverum hac febre mortuarum in Noſocomio Hotel de Dieu eadem quoque oſtenderunt. M. Pouteau quoque, dans ſes Melanges de Chirurgie, eadem obſervavit. V. pag. 180.

« Dans

“ Dans le printems de l ’Année 1750, il régna dans cette ville une maladie épidémique, qui attaquoit pluſieures femmes nouvellement accouchées. Elle ſe déclaroit trois ou quatre jours après l’accouchement, quelquefois même encore après trois ſemaines, par une inflammation dans le bas-ventre, laquelle s’annonçoit ſouvent tout-à-coup par les coliques les plus violentes, ſans aucun autre ſymptome avant coureur. C’étoit quelquefois un coup de foudre. A ces coliques ſe joignoit une diarrhée abondante, avec une tenſion conſidérable dans le bas-ventre; et elles ne finiſſoient que par la mort des malades, ou par des abſcès dans le ventre, ſi étendus que la malade ſuccomboit par l’excés de la ſuppuration, et par ſa mauvaiſe qualité.

“ Toutes les femmes qui ont été attaquées de cette colique, et qui n’ont pas fait uſage du camphre, ſont mortes, autant que j’ai pu m’en inſtruire par les informations que j’ai faites. J’ai moi-même été témoin de la mort de cinq de ces malades, arrivée avant que je ſongeaſſe à leur donner du camphre. J’étois alors Chirurgien-Major du grand Hôtel-Dieu de cette ville. Le grand nombre de femmes qui accouchent dans cet Hôpital, me mis dans le cas de gémir ſouvent ſur le ſort de

ces

ces infortunées, qu'aucun des remédes indiqués contre l'inflammation ne pouvoit ſoulager. L'ouverture de deux cadavres de ces femmes mortes, après avoir ſouffert les douleurs les plus cruelles, me fit voir les phénomenes ſuivants.

« L'épiploon avoit acquis l'épaiſſeur d'un doigt; il étoit adhérant en pluſieurs endroits avec le péritoine des muſcles du bas-ventre & avec les inteſtins. Il y avoit des points de ſuppuration putride dans pluſieurs parties de l'étendue de cette toile graiſſeuſe. Les inteſtins étoient tous unis les uns avec les autres par de légeres adhérances; ils étoient bourſouflés & d'un rouge vif, tirant ſur le violet en pluſieurs endroits.

« Le volume de la matrice étoit plus ou moins conſidérable, ſuivant que les coliques avoient parues dans un tems plus voiſin ou plus éloigné de l'accouchement. Une de ces femmes étoit morte huit jours après l'accouchement, & après trois jours de maladie. Le volume de la matrice étoit double de celui du poing du cadavre. Ses parois avoient un pouce d'épaiſſeur; la ſeconde étoit accouchée depuis quinze jours lorſqu'elle tomba malade; ſa maladie dura quatre jours. L'épiploon & les inteſtins étoient

étoient dans le même état que la précédente: la matrice étoit beaucoup plus petite.

"En ouvrant ces matrices, il ſe préſenta dans l'une & dans l'autre une circonſtance qui mérite attention; la tunique interne de ce viſcére étoit noire & molle; la matrice dans ſon épaiſſeur avoit une rougeur livide & vraiment gangreneuſe."

Ab hiſtoria igitur morbi jam traditâ, et a ſectionibus cadaverum, quid colligendum eſt de cauſa, natura, et ſitu mali?

Hunc morbum a cauſâ putridâ provenire, a doctiſſimo medico C. Whytte aſſeritur. Experientia quidem magnam hujus morbi proclivitatem ad putredinem vel gangraenam oſtendit, et certe lochiorum putridorum, vel etiam partium tenuiorum faecum abſorptio, et alia in ejus libello numerata, putredini maxime conducunt; et haec proclivitas ad putredinem procul dubio maxima erit in noſocomiis, et ubicunque multae puerperae in uno cubiculo concluſae ſunt. Febres putridas quoque aliquando huic febri conjungi haud facile negaverim; hoc enim ab exemplo memorabile ab ipſo Whytte tradito patet, totam nempe familiam

familiam febre putrida correptam eſſe a muliere puerperali morbo decumbente. Sed ab hiſtoria morbi, et a pleriſque caſibus quos mihi vidiſſe contigit, in quibus nulla putredinis ſigna apparuerunt, et ab auctorum deſcriptionibus, et praecipue a regiminis antiphlogiſtici uſu, conſtat hunc morbum ſaltem primo ſtadio veram inflammationem eſſe, et putredinem ſecundarium eſſe ſignum forte naturae febris epidemicae tunc temporis graſſantis, vel aliis minus obviis cauſis tribuendam.

Verum, ſi inflammatio fuerit, quaerendum eſt, num, cum Hippocrate et pleriſque medicis, uterum primariam eſſe hujus morbi ſedem, an, cum Hulme et Leake, omentum et inteſtina credemus ?

A dolore primo incipiente ſupra os pubis, aut latere alterutro regionis hypogaſtricae, et tunc gradatim ſe extendente altius ac latius per totum abdomen, a morbo poſt partum ſolum obſervato, a lochiis ſuppreſſis, quod morbum etſi non facit, fere ſemper comitatur, conſtat uterum primo affici ; et idcirco hujuſmodi pathologiam febris puerperalis propono.

Pathologia. Uterus ſemper magna praeditus eſt irritabilitate, quae tantum graviditate augetur, ut prope partum, et magis adhuc poſt partum, a laboribus, et doloribus puerperii, fere inflammatum, vel maxime inflammationi aptum eſſe crediderim. Nam, poſt partum vaſa uteri ſubito contrahuntur; et quoniam ſanguinis copia parum diminuitur, impetus ejus in illis vaſis neceſſario augebitur, et vaſa ipſa plurimum diſtendentur. Si igitur ab ulla irritatione aut cauſa morbi excitante conſtrictio vaſorum et impetus ſanguinis intendantur, et lochiis ſuppreſſis, quibus quicquid nimis ſanguinis in corpore ſuperfuit emitti debuit, pronum eſt inflammationem excitari. Quoniam vero membrana uterum inveſtiens, dum mulier uterum gerit, maxime diſtenta, debilior evaſit; et, quoniam propter ſitum ejus, ſanguis magis ibi accumulatur a vaſis uteri conſtrictis, inflammatio ibi maxime excitabitur. Sed, quum haec membrana continuatio peritonaei eſt, inflammatio cito ſerpit ad alias hujus partes, praeſertim ad eas, quae inteſtina tegunt, primo proximas, poſtea ad totum abdomen. Omentum etiam cito afficitur, et a membranarum ſuarum tenuitate et vaſculorum numero, inflammatio illic brevi magna erit. Idcirco membranam uterum inveſtientem partem eſſe primo affectam, et inde morbum per totum abdomen ſerpere crederem. Ne-

que

que mirandum uteri ſubſtantiam non magis affectam eſſe, quum veriſimile eſt membranas inveſtientes, et non ſubſtantiam parenchymatoſam, in omnibus inflammationibus acutis internis praecipue affici.

Ab hac pathologia explicanda ſunt varia, quae hunc morbum comitantur ſigna, et ratio reddi poteſt quare poſt partum tantum accedat; quod fieri nequivit, ſi ab uteri gravidi compreſſione in inteſtina oriretur; tunc enim ante partum potius quam poſtea invaderet; cur lochia plus minuſve ſupprimuntur; quare initio morbi dolor fixus circa uterum maxime urget, quum in inteſtinorum inflammationibus longe aliter res ſeſe habet. Jamjam in ſectionibus cadaverum notavimus multum pus et ſerum reperiri, quod partim tribuendum eſt exudationi, aut forſitan ſecretioni auctae, (ſicut in oculi inflammatione lachrymarum ſecretio augetur), ſed aliquâ etiam ex parte vaſculorum ſeroſorum rupturae, aeque ac ſuppuratione, quae ſaepe nulla eſt; nam in ſectione, quam ſupra tradidi, multum pus et ſerum erat, ſed nulli abſceſſus unde profluxerat.

Quum vero diverſam de hoc morbo a ſpectatiſſimis viris Hulme et Leake ſententiam protuli, haud abs re

erit

erit rationem reddere cur ab eiſdem fere obſervationibus aliam tamque diverſam opinionem deduxi.

Quanquam cadaverum ſectiones multa, et eximia, et quidem certiſſima de ſedibus et natura morborum docent; tamen haud raro fallitur, qui ſectionibus minus aſſuetus temeram a primo aſpectu concluſionem formavit: Et Leake ipſe bene monuit, "That all ſuch morbid appearances, as there is reaſon to think did not exiſt till long after the invaſion of the diſeaſe, ought to be looked upon as ſo many conſequences, and not cauſes, of it." Quod ſane ejus et Hulme ſententiis de morbi natura in promptu eſt applicare, qui omentum et inteſtina primo et maxime affici crediderunt, quod utraque inflammata, ſuppurata, eroſa, livida, conſumpta reperta ſunt, et ingens vis puris in abdomine collecta. Alii, e contrario, aſſerentes ſigna inflammationis circa uterum et appendices obſervanda eſſe, contendunt uterum primariam eſſe inflammationis ſedem, inde, in caſibus infauſtis, ad partes vicinas propagatae. Hi uterum credunt eſſe ſedem inflammationis, quia morbus tam arcte ſequitur partum; aliter enim nihil obſtat, quin viri aeque ac mulieres hac febre corriperentur, et mulieres non parturientes aeque ac puerperae.

Jamjam

Jamjam notavimus, febrem puerperalem A. D. 1746 graſſatam eſſe in noſocomio Pariſienſi Hotel-Dieu. Ex cadaverum ſectionibus ſatis ibi apparuit, uterum primo inflammatum fuiſſe, et poſtea inteſtina et omentum. Leake, opinionem jamjam amplexus febrem puerperalem Londinenſem oriri ab omenti et inteſtinorum inflammatione, contendit morbum Pariſienſem diverſum eſſe ab eo, quem ipſe deſcripſit; et, ob eandem rationem, omnes febres puerperales in quibus uterus a ſymptomatibus, aut in inſpectione cadaveris inflammari creditur, diverſum eſſe morbum ab eo de quo ipſe ſcripſit, vocaverit. Omentum primum in hoc morbo affici credidit; quod, ſi ita eſſet, tantus certe dolor, in loco tam parum ſenſibili non foret. Praeterea, ut ſupra obſervavimus, dolor hic ſemper in regione hypogaſtrica oritur; omento autem laborante, epigaſtrica laboraret.

Hulme quidem inflammationis ſigna in inteſtinis et omento interpretatus cauſas potius quam effectus inflammati eſſe uteri, hoc tribuit utero gravido omentum et inteſtina prementi. Sed, ſi haec tantum valeret, certe effectus ejus majores et inflammatio maxima ante partum forent, quando uterus maxime premeret, et, cauſa

ſublata,

ſublata, morbus tolli deberet; verum morbus nunquam niſi poſt partum invadit.

Haec omnia, ni fallor, ſententiae Hulme et Leake minime favent, et nos ad ſententiam veterum reducunt, ſcilicet febrem puerperalem oriri ab uteri inflammatione, paulatim ſeſe diffundente per tota abdominis et aliquando thoracis viſcera. Inflammatio harum partium ab inflammatione primaria oritur, eadem lege, qua nervus ſcalpello laeſus, veluti inter mittendum ſanguinem, vel digiti paronychia totius brachii inflammationem et febrem excitant, et inde laterum compunctiones hanc febrem ſaepe comitantur, et pthyſis pulmonalis haud raro eam ſecuta eſt.

Irritabilitas ſyſtematis nervoſi maxime augetur, dum mulier uterum gerit, et manet, et quidem valde creſcit brevi tempore poſt partum. Irritatio, quam omnes uteri partes et partes vicinae in puerperio patiuntur, tanta eſt, ut pene inflammationem faciat, lecto nimis cito relicto, aut liquorum fortium uſu, aut mentis gravioribus affectibus, aut epidemicae graſſantis natura, haec proclivitas ad inflammationem augetur. Inflammationis progreſſus ad inteſtina, ſi morbus male deſinat, haud minus plane dignoſcitur a dolore gradatim ſeſe extendente

altius

altius ac latius per abdomen, quod eodem tempore tumet, cum ſingultu, vomitu, aliiſque inſtantis mortis ſignis.

Hulme ingenioſſime contendit, irritationem, et ſanguinis circuitum partus laboribus ac cruciatibus citatum, inflammationem producturos eſſe in omento et inteſtinis; omnino tamen obliviſcitur, has cauſas maximum effectum genituras eſſe in organo praecipue affecto, ſcilicet utero ipſo, qui, ut mihi videtur, ſine dubio primaria eſt hujus morbi ſedes.

Jam ſatis de natura et ſede, nunc de cauſis, et primo remotioribus, ſeu praediſponentibus, hujus morbi agendum.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES,

Maximae ſunt mutationes in utero, et forte etiam in toto corpore, ſub partum productae. Uterus novem menſium ſpatio e pelve ſurgens paulatim ſeſe adeo extendit, ut juxta parturitionem magnam abdominis partem impleat. Ob uterum prementem liber ſanguinis tranſitus per aortam deſcendentem impeditur; ſed, poſt partum, preſſura ſublata, ſanguis majore impetu deorſim fluit, ut multa ſymptomata, ſed praecipue ſyncope et convulſiones, ſaepiſſime partum ſequentia oſtendunt, et vaſis uteri conſtrictis, copiâ autem ſanguinis in eis propulſa parum imminuta, diſtentio et ad inflammationem proclivitas erunt, quae a partus doloribus et cruciatibus augebuntur.

Magna habitus irritabilitas, aut innata aut a variis cauſis externis producta, huic morbo maxime opportuna eſt. Ita omnibus ſcriptoribus obſervatum eſt, mulieres teneras ac delicatas, et ſenſibiles, et forma praeſtantes, aut morbo hyſterico affectas, aut antea vel corporis morbis vel animi affectibus debilitatas, imprimis huic febri obnoxias eſſe. Plethora quoque, praecipue cum ſtatu corporis priore conjuncta, ad morbum inducendum multum confert.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

I. Errores in diaeta, praeſertim cibus animalis nimis cito poſt partum aegrae conceſſus, diatheſin phlogiſticam augendo, et etiam ſtimulo ſuo, et natura putrida, maxime nocebit.

Hic quoque ſtimulantia calidiora nomine cardiacorum puerperis data recenſenda veniunt, quorum ab uſu plurimae foeminae, praeſertim delicatiores, perierunt.

II. Si puerpera lectum citius quam debuit reliquerit, et ſitum corporis erectum ſtatim poſt partum nimis diu ſervaverit, periculo non carebit. Nam, cum uterus tam inflammationi proclivis eſt, omne quod irritet, aut ſanguinem ei expediat, maxime nocebit. Quamobrem omnino cum Sydenhamo (qui hanc frequentiſſimam morbi cauſam credidit) conſentior, ut ad diem ſaltem decimum puerperae ſe in lecto contineant, praeſertim ſi paulo debiliores aut hyſtericae ſint; et forſitan haud a re alienum foret, ſi haec, quamvis nimis dura nonnullis videatur lex, religioſiſſime teneretur.

III. Calor nimius. Omnibus notum eſt calorem irritabilitatem et ſenſibilitatem corporis augere; hinc quoque periculum ne morbus oriatur. Mos fuit olim puerperas ſumma cura calidiſſimas ſervare; quo conſilio toralibus lecto accumulatis, magno foco excitato, et viis omnibus quibus aër intraret arctiſſime clauſis, medicamenta ſtimulantia cardiacorum titulo libere ingerebantur. Nil mirum, igitur, febres puerperales peſſimas, citiſſime naturam putridam inducentes, excitatas eſſe, et fere certo lethales evaſiſſe.

Sed, dum morem tam pernicioſum repudio, nequaquam in animo eſt contrarium omnino commendare, nempe, puerperas, quibus forſitan ſemper fuerat cura frigus vitare, frigori nimio objicere; quod certe

IV. Quarta hujus morbi cauſa eſt, forte augendo diatheſin phlogiſticam et conſtrictionem. Sed temperies moderata ſecundum vim et ſtatum aegrae ſervanda eſt; ni fallor autem, frigus quam calor minus periculoſum erit.

V. Animi affectus graviores irritationem producere, et ita forte cauſas morbi eſſe, haud dubium eſt; et plurima ſunt exempla puerperarum a nunciis malis, aut rebus inopinatis, hac febre correptarum. Et non tantum perturbationes

bationes ſubitae ac vehementiores, ſed minores quoque animi affectus, qui tamen fere adſunt, febrem puerperalem haud raro induxerunt. Ita in libello Leake obſervatum eſt, mulieres infortunatas furtiva venere gravidas, prae caeteris huic febri obnoxias fuiſſe, et plerumque peſſime ſe habuiſſe.

VII. Coeli quoque quendam ſtatum hanc febrem produxiſſe patet; quoniam multae eadem vicinia et eodem tempore affectae ſunt, ut morbi hiſtoria oſtendit; ſed quiſnam aëris ſtatus ſit, nondum detegitur, niſi humor forte etiam cum frigore. Febres puerperales quoque inductae a febre alia epidemica tunc temporis graſſante, cujus formam plerumque induunt. Obſervata quoque confirmaverunt, putrida effluvia ex multis in uno cubiculo concluſis multum puerperis nocuiſſe, dum in Noſocomiis decumbebant; praecipue ea quae a Peu, dans ſa pratique des accouchements, Liv. ii. ch. i. § iii. memorata ſunt *

Hinc

* Il s'agiſſoit de ſavoir d'où procédoit la mort d'une prodigieuſe quantité de femmes nouvellement accouchées en cet hôpital. On ſoupçonnoit, ou du moins l'on craignoit, que cela ne vint peut-être par la negligence des perſonnes prépoſées au ſoulagement de ces femmes. On

remarquoit

Hinc non mihi videtur hanc febrem a contagione quadam produci, ut aliquibus placeat, quoniam in illis locis, ubi multae eodem tempore affectae erant, puerperae, quae ne minime quidem cum aegrotantibus communicaviſſent, hac febre corripiebantur. Praeterea, ſi contagio quaedam ſola hanc febrem producit, non credere poſſumus puerperas ſolas affecturam eſſe; ſed etiam exempla nequaquam deſunt ubi febres puerperales, ab aliqua cauſarum antea

remarquoit d'ailleurs cette grande mortalité plûtôt en de certains tems & en de certaines ſaiſons qu'en d'autres. Le nœud de la queſtion fut reſolu. Le médecin dont j'ai parlé fit ouvrir pluſieurs cadavres de ces pauvres femmes & il ſe trouvérent tous pleins d'abſcés. Il en rechercha la cauſe avec exactitude, qu'il atribua enfin à la ſituation deſavantageuſe du lieu, ou plûtôt de la ſallé des accouchées, qui étoit au deſſus de celle des bleſſez. Tellement que les vapeurs groſſiéres & infectes qui s'élevoient des plaies & des ulcéres de ces corps bleſſez, formoient comme une maſſe d'air impure & maligne au dernier point. Cet air ſe portant perpétuellement en haut, étoit reſpiré jour & nuit par les nouvelles accouchées, et elles tomboient dans un flux de ſang qui ne les quitoit qu'à la mort. Il en périſſoit plus ou moins, ſelon que le nombre des bleſſez étoit grand. Le temps chaud & humide ou froid & humide, leur étoit incomparablement plus nuiſible que le chaud & ſec ou le froid & ſec, dans lequel ces vapeurs ne ſont pas une ſi forte impreſſion ni dans l'air ni ſur les corps. En un mot, ce malheur n'étoit point arrivé du temps que les accouchées étoient dans une ſalle au deſſous des autres.

antea memoraratum ſolitariae erant, etubi ne minima quidem contagionis ſuſpicio eſſe potuit. Credo igitur aërem impurum aut aliquo modo vitiatum, ſed imprimis a multis in uno conclavi concluſis, hanc febrem producturum eſſe in iis, quibus antea cauſae praediſponentes erant. Sed forſitan ubi febris in noſocomiis diu duravit, tantum naturae putridae induere poteſt, ut contagioſa fiat; quod tamen raro alibi accedet, niſi prius conjuncta ſit cum febre alia putrida vel contagioſa.

Inter cauſas hanc febrem efficientes rudior obſtetricis manus, aut variae irritationes uteri, vel etiam partium vicinarum, ſicuti faecum aut urinae retentio, et multae aliae, quoque referri debent.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Res ſummi momenti eſt, noviſſe quae ſigna bona quae adverſa ſint laborantibus febre puerperali.

Si aegra antea animi perturbationibus valde vexata, aut aegritudine aliqua debilitata fuerit, praeſertim ſi morbi principiis non obſtetur, aut ſi medicamenta cardiaca adhibita ſint, malum eſt.

Pulſus valde citatus cum magno abdominis dolore, et ſpiritu anhelo et anxio, periculoſus eſt.

Si triſtitia cum timore et vigilia eſt, aut ſi mulier cum vehementiſſimis etiam et aſſiduis capitis doloribus premitur, tunc in periculo mortis eſt, ut Celſus * bene notavit.

Alvus primo morbi ſtadio pertinaciter aſtricta, aut in ſtadio ſecundo vehementius fluens, cum abdomine tumefacto, vomitu viridi aut nigro, et ſudoribus partialibus, funeſtum indicant eventum.

A

* Lib. 2. cap. 8. p. 74.

A quibuſdam caſibus quoque apparet, magnam inquietudinem cum quadam membrorum moleſtia inexplicabili, praecipue eryſipelate externe ſeſe prodeunte, peſſimum eſſe ſignum; quoniam, inflammationem eryſipelatoſam ideoque malignam indicat.

Sed ſi dolores ſubito deſierint, et pulſus debiles ac celeres, vultus pallidus, labra livida, lingua arida et ſicca ſiant, praecipue ſi alvus, inſcia aegra, fluat, et vomitu omnia rejiciantur, ſi frigidi ſudores ſuccedant, et ſtupor obrepit aut delirium, tunc ipſa mors inſtat.

Sed, contra, morbi initio alvus ſoluta, fluxus lochialis redux, et pulſus minus celeres ac ſpiritus faciliores evadentes, felicem exitum pollicentur.

Cognitis indiciis, quae nos vel ſpe conſolentur, vel metu terreant, priuſquam ad curationem hujus febris tranſeamus, haud abs re erit de morbo praecavendo quaedam proponere.

PRO-

PROPHYLAXIS.

Primo ante partum: Quoniam mulieres delicatiores et ſenſibiliores aut hyſtericae maxime febri puerperali obnoxiae ſint, ſumma ope nitendum eſt, ut irritabilitas iſta, quantum fieri poteſt, minuatur. Irritabilitas ideoque ſenſibilitas univerſi corporis multum graviditatis tempore omnibus augetur, quanta tum erit in illis quibus antea nimia fuit haud facile aeſtimari poteſt. Habitum totum roborando, huic obviam ibimus aliqua ex parte; et huic propoſito cortex Peruvianus et chalybeata, ſicuti aquae minerales apud Spadanos et Pyrmont, reſpondent. Suſpicor tamen utilitatem aquarum apud Spadanos quoque tribuendam eſſe aëri fixo, quo abundant, et qui, ut omnibus conſtat, ſedante vi gaudet. Apud Spadanos in aeſtate ſuperiore commoratus, in meipſo et aliis animadverti magnam ſomnolentiam ab aquae hauſtu. Igitur nonne veriſimile eſt, aquas aliqua ſaltem ex parte prodeſſe vi ſedante, irritabilitatem ſyſtematis minuente, aeque ac vi roboranti? et forſitan talibus in caſibus opium et cortex Peruvianus commixti maximo eſſent uſui.

Medici

Medici valdè de opii exhibitione inter ſe diſſenſerunt. Non noſtrum eſt litem omnino componere; ſed forſitan, ſi omnia, quae in talibus obſervantur, conſiderentur, uſus ejus nequaquam repudiandus erit. In caſibus hyſtericis quibuſdam, quos mihi vidiſſe contigit, ubi, propter perturbationes aut animi pathemata, nauſea et vomitus, et alia ſigna hyſterica, producta fuerant, laudani doſis parvà ſemper ſtatim maxime profuit, quando multa alia incaſſum antea exhibita fuerant. Si igitur magnae irritabilitatis ſigna, ſicut nauſea, vomitus, et praecipue vigiliae, urgeant, aut aliqua ex cauſa animi valde deprimantur, tunc opiata maxime proderunt; ſed tamen non pro levi omni cauſa danda, quoniam ſedantium uſus nimius valde infirmat.

Quam mirae et validae fiant mutationes in corpore humano per animi affectus graviores, omnibus conſtat; et forſitan hi affectus nullis magis nocere poſſunt quam gravidis et puerperis. Quantae haemorrhagiae, quantae convulſiones et mortes ſubitaneae ab animi pathematibus validioribus! Sed mulieres ſenſibiliores non tantum ab his affectibus gravioribus, ſed etiam a cauſa vel leviſſima, affici poſſunt. Verba vel etiam vultus amicorum minus benigni dolorem acutiſſimum illis afferent; ideoque, ſi ca-

lamitas magna tunc temporis accedat, multum timendum eſt. Tunc quidem amici pars potius quam medici agenda eſt, et erga illas ſumma cum benignitate agendum eſt; neque ludibrio habendae querelae earum, quamvis ridiculae, ſed omni qua fieri poteſt miſericordia leniendae. Nihil aliud a medico fieri poteſt niſi medicamentis ſupra memoratis exhibitis. Sed tamen amicis exponendum eſt multum ſaluti conducere, ut aegra hilari ſit animo, et maxima circa eam humanitas et ſuavitas ſuadendae ſunt.

Si ſigna plethorae magnae adſunt, tunc ſanguis mittendus eſt. Sed praecipue cavendum, ne urina in veſica aut foeces alvinae in inteſtinis detineantur, uterum propter vicinitatem male affecturae. Si igitur alvus non ſponte redditur, laxantia, ſicut oleum ricini, cremor tartari, aut decoctum tamarindorum cum ſenna, danda ſunt. Veſtes omnes corpus aſtringentes, igiturque loricae omni in tempore noxiae et ineptae, hoc tempore praecipue nocebunt.

Maxime quoque juvabit mulierem aëre libero ſeſe exercere, quantum fieri poteſt, nec in cubiculo focis perpetuis calefacto ſeſe continere, quo certe irritabilitas ſyſte-

matis,

matis, igiturque ſeminium febrium puerperalium, maxime augebitur.

II. *Poſt partum.* Perfecta et corporis et animi quies neceſſaria eſt; ideoque omnes curae domeſticae arcendae ſunt, et cavendum a viſitationibus amicarum importunis; et praecipue ne aequa mens, quam ſervare decet, turbetur vel laeto vel triſti nuncio.

Si alvus non ſponte deponitur, tunc clyſmata aut laxantia utenda ſunt, et, ſi plethora adeſt, ſanguis mittendus eſt. Si nimia irritabilitas corporis, aut magnae animi perturbationes, juſtam quietem ruperint, credo opiata non tantum utilia ſed neceſſaria fore, et forſitan febris acceſſum impeditura. Sydenhamus hanc ſententiam, in epiſtolari ejus diſſertatione, amplectus eſt, credens quidem lochiorum ſuppreſſionem imprimis affectibus hyſtericis deberi, ſaepe opium, et aſſafoetidam, ad ſpaſmum ſolvendum, et quietem neceſſariam conciliandam, praeſcripſit. Haec remedia vero tantum ad cauſas ſaepe febrem inducentes praeſcripta ſunt; et omnes qui in praxi medica verſantur bene noſcunt, et aſſafoetidam et opium maxime his in caſibus profuiſſe. Haec retuli, quoniam recentiores

tiores quidam ſcriptores hujus auctoris ſenſum ſecus acceperunt.

Van Swieten, in Commentariis ſuis *, hanc Sydenhami praxin memorat; et poſtea addit, "conſtanter hanc methodum ſecutus fui, nec poenituit unquam."

Hic obſervandum, opiata compoſita aromaticis calidis aut ſtimulantibus, qualia ſunt theriaca, mithridata, et phylonia pharmacopoeiorum nunquam adhibenda eſſe; quoniam, ut mihi videtur, opiatis omnino contraria ſunt; et ſtimulantium quoque uſus, quibus componuntur, non caret periculo; quamobrem opium purum, aut laudanum liquidum, exhibere praeſtat.

Puerpera cubare quam maximo conclavi debet; et cavendum eſt, ne calor nimis augeatur, et calida ſtimulantia dentur. Temperies moderata caloris ſexaginta circiter graduum optima eſt.

Neceſſe quoque erit lineamina, praecipue ea lochiis conſpurcata, ſaepe mutari, ne ſanguis a calore corporis cor-

* Vol. 4. p. 631.

corrumpatur, et foeteat, et ita morbi praebeat cauſam: Ita Van Swieten † obſervavit, "Adeo religioſe quietem in puerperio ſervandum voluerunt multi, ut piaculum crediderunt, ſi lintea mutarentur citius quam circa decimum a partu diem. Certum eſt, frigidum aërem, primis puerperii diebus imprudenter admiſſum, plurimum nocuiſſe, praecipue ſi inferiores corporis partes tangeret. Verum etiam conſiderandum eſt, lochiis conſpurcata eſſe linteamina, quae a calore corporis cito corrumpuntur, et peſſime foetent: Memini me aliquando viſitaſſe tales puerperas, quae jam per aliquot dies in his ſordibus morabantur, dum manum de ſtragulis eductam mihi porrigebant, tantus foetor nares feriit, ut vix non animo linquerer, quamvis non adeo delicatum me credam ut a male olentibus afficiar facile?

Si de his omnibus cavendum eſt, forſitan febris puerperalis non accederet; veruntamen, quoniam malâ a curâ, aut forſitan a cauſis parum perceptis aut non impediendis, morbus ſaepe oriretur, proxime conſiderandum eſt, quae tunc facienda ſunt: Et quia morbus debetur uteri inflammationi cito ad inteſtina ſerpenti, omnia pro inflammationis

† Pag. 625.

mationis cura neceſſaria utenda ſunt, ſecundum vires aegrae.

CONSILIA MEDENDI.

Conſilia medendi ſunt,

I. Inflammationem et febrem tollere.

II. Quibuſdam ſymptomatibus aut inflammationis ſequelis, in morbo occurrentibus, obviam ire.

Conſilium primum expleri poteſt,

1. Sanguinis miſſione ea quantitate, quae viribus aegrae, et vehementiae ſymptomatum, reſpondeat, et quam ſtatus ipſius ſanguinis ſuadeat.

Multum diſputaverunt medici de ſanguinis detractione. Alii maximam ſpem in illa reponunt; alii contra, et imprimis Boerhaavius, contendunt, ſanguinem nunquam ſine periculo mitti poſſe, ideoque, ni ſumma neceſſitas urgeat, vetant ſanguinem mitti. Forſitan omnibus rite perpenſis, patebit,

patebit, medium iter tutiſſimum eſſe. Certe febris vehemens cum dolore acuto, pulſu celere ac duro, ſanguinis detractionem requirit, praecipue ſi aegrae habitus validior ſit. Sed, propter proclivitatem morbi ad debilitatem, ſatius eſt primum levare aegram parva evacuatione, ſcilicet unciarum ſex vel octo, et deinde eam repetere, ſi dolor et pulſus durus urgeant, quam ſimul omni vi effuſa evacuatione magna fortaſſe praecipitare; et in quibuſdam caſibus ſigna inflammationis adeo valida ſunt, ut neceſſe eſſet ſanguinem uſque ad quartam vicem mitti. Hoc tamen raro occurrit, et plerumque ſat erit, ſi ſanguis ſemel mittatur. Sanguis quoque plerumque tantum morbi initio detrahi poteſt, forſitan nunquam poſt diem quartum aut quintum; quoniam tunc aegram imbecilliorem facere poteſt, jam ſatis exhauſtam a partus laboribus et febre; et ubi pronitas ad debilitatem mature ſe oſtenderit, aut aegrae antea delicatiores aut debiliores fuerint, ſanguis tunc non mitti poteſt, aut ſaltem parca manu detrahi ab abdomine, ope cucurbitularum cruentarum; quoniam diarrhoea, quae ad hanc febrem curandam neceſſaria videtur, excitanda eſt; igiturque omnino cum Hulme conſentior, "That bleeding is only to be conſidered as a ſecondary remedy, though the firſt in

point

point of time; and, if I muſt err, it ſhould rather be in point of bleeding too little than too much."

2. Alvi purgationibus, quae a natura ipſa indicari videntur, et quarum uſu tempeſtivo ſaepe febris vis omnino frangitur, ſine ulla alia evacuatione. His non ſolum foeces alvinae acres et putridae, inteſtina et partes vicinas irritantes, evacuantur, ſed magna quoque evacuatio et derivatio a partibus affectis fit, propter ſecretionem, ideoque fluxum ad vaſa minutiora auctum. Sunt qui opinantur, alvum aſtrictam prodeſſe puerperis, et primis morbi diebus duci vetant. Metuunt enim diarrhoeam, quam ſemper ominoſam, et vix non certe lethalem, credunt; quoniam a lochiis ſuppreſſis alvi fluxu aliquando perierunt puerperae. Sed, ni fallor, hoc profluvium oritur a faecibus alvinis putridis in inteſtinis collectis, et forſitan vix aliter impediri poteſt niſi alvi purgatione aut diarrhoea morbi initio; quae igitur ſponte accedens, non ſine maximo periculo ſupprimi poteſt, et potius faveri et arte excitari debet. Ubi vero morbi initio venter parum reddit, dejectiones a medicamentis ſumma ope petendae ſunt, primo a clyſmatibus vel laxantibus mitiſſimis; ſed, ſi haec non valeant, tunc demum a catharticis validioribus. Sed contra, morbo progrediente, ſi alvus vehementius fluat,

ita

ita ut aegrae vires nimis convellantur, tum fluxum moderari conandum eſt.

Ad primum propoſitum, ſcilicet alvum ducere, *clyſmata emollientia et mitiſſima* optime reſponderunt, et multa hujuſmodi laudaverunt auctores, ſicut decoct. avenaceum, vel pulmentum cum nitro vel ſale marino, aut oleum. Sed pater meus nullum aeque profuiſſe cum ſaccharo communi in aqua calida ſoluto, putans olea nihil prodeſſe, et ſales aut purgantia irritantia plerumque non neceſſaria, et quoque ſtimulo ſuo forſitan nocitura eſſe. Enema ſupra memoratum eodem tempore ſaponaceum, demulcens, et antiſepticum eſt, et alvum evacuat ſine magna irritatione. Magnus quidem enematum uſus eſt, quod effectus ſuos edunt cito, et praeterea, ſi calida ſint, partes affectis proximas fovebunt. Sed plerumque clyſmata ſola non ſatis erunt, et neceſſe erit actionem eorum adjuvare *purgantibus ore adminiſtratis*, quorum pauca nunc recenſenda ſunt.

Oleum ricini hoc in morbo optime reſpondit; quoniam ſine magna irritatione, et quoque brevi tempore, effectus ſuos edit. Primo, uncia una danda eſt, et ſemuncia 2da

vel 3tia quaque hora repetenda, donec alvus fluxerit; ſed, quoniam olei ſapor multis ingratus eſt, eum tegere ſyrupis aut aliis mitioribus ſubſtantiis neceſſe erit, aut ſpiritu ſacchari cum aqua multa diluto, quod bene cum paribus quantitatibus olei miſcetur; tamen non iis aſſentiri poſſum qui ſpiritu utuntur meraci; quoque actionem ejus augeamus aliis laxantibus, ſicut magneſia, cremore tartari, et ſimilibus eo commiſtis.

Antimonii praeparata, dum tam refracta doſi dantur, ut per alvum evacuandam potius agant, huic propoſito ſatisfacient, quorum tartarus emeticus et vinum antimoniale optima ſunt. Solutio tartari emetici ſimplex, 3tiam vel 4tam grani partem continens, aut variis laxantibus † ita praeparata, ut potius in inteſtina quam ventriculum vires ſuas exerceat; 2da vel 3tia quaque hora propinari poteſt donec alvus dejecerit.

Sales neutri, ſicut ſal catharticus amarus et ſal Glauberi, quoque ad hoc propoſitum reſpondebunt. Sed laxantia ſupra memorata praeſtant, vel vegetabilia, ſicut tamarinda et manna, quae plerumque diarrhoeam ſatis excitabunt,

† R. Nit. pur. dr. i. Tart. emet. gr. ii. emulſ. commun. lb. i. mannae unc. ii. Fiat emulſ. cap. cochl. iii. ſaepius die.

excitabunt, et minore quam ſales ſtimulo. Vegetabilia quoque putredini ſaepiſſime in inteſtinis latenti obviam ibunt.

Sennam et rhabarbarum et multa alia laudaverunt auctores. Sed maxime ad aegrae ſalutem conducit mitioribus, quae nihil acris vel ſtimulantis habent, uti, ad diarrhoeam excitandam, quae copioſiſſime fieri debet primo hujus morbi ſtadio, ſed poſtea, febris vi fracta et dolore pacato, lenius et parcius, donec dolor ac febris omnino ceſſaverint.

Sed aliquando, ubi febris non imminuta eſt evacuationibus maturis, aut alvus non moveri poteſt morbi initio, fluxus immodicus ſupervenit, et vires aegrae proſternit; his in caſibus non omnino ſupprimenda, ſed tantum moderanda eſt diarrhoea, ne aegram nimis infirmet. Huic conſilio reſpondent opiata cum demulcentibus * compoſita, et ea omnia quae conſtrictionem removeant et diaphoreſin producant.

Cortex

* R. Emulſ. commun. lb. i. Syr. e mecon. Spir. nit. dulc. aa dr. ii. fiat emulſ. cap. cochl. iii. om. hor. &c.

Cortex Peruvianus quoque aut vini copia parva prodeſunt, praecipue ſi multo ab evacuationibus debiliores ſint aegrae. Ut uno expediam verbo, diarrhoea, quae tanquam conamen naturae ad hanc febrem ſolvendam conſideranda eſt, primo morbi ſtadio libere excitanda et promovenda eſt; ſed in ſtadio ſecundo vel putrido, ſi modum excedat, moderanda, ne vires vitales nimis convellantur.

3. Conſtrictionem removendo et diaphoreſin producendo. Doſes antimonii praeparati quoque ad hoc propoſitum utiliſſimae ſunt. Quaproper Hulme laudat parvas doſes tart. emetici vel vini antimonialis, vel ipecacoanhae (quae pari virtute gaudere videtur) opio conjunctas administrari ſemel vel bis viginti quatuor horarum ſpatio, julapii ſalino Riverii per intervalla ſaepiſſime exhibito; ſed maxime timendum eſt opiata coercitura eſſe evacuationes alvinas, quarum neceſſitas antea demonſtrata eſt. Plerumque igitur julapium ſalinum ſatis erit; vel emulſio camphorata * quae optime reſpondit.

M. Pouteau, dans ſes mélanges de chirurgie, nihil aeque cum camphorâ profuiſſe comperit in hac febre.

Calida

* R. Emulſ. camph. unc. vi. Sp. nit. dul. drach. ii. Cap. cochl. ii. bis vel ter die.

Calida fomenta ad pudenda vel abdomen applicata huic conſilio quoque ſatisfacient. Semicupium optimum hujuſmodi remedium eſſet, ſi aegra e lecto ſurgere potuit; ſed aegrotae debilitas plerumque uſum ejus vetat, et forſitan pedum ac abdominis fomentatio panno laneo, aut veſicis aqua tepida impletis, aeque ex uſu erit.

Emplaſtra epiſpaſtica abdomini applicari aliqui laudaverunt; ſed forſitan propter vicinitatem veſicae urinae, quae ſaepe ab iis irritatur, magis nocere a ſtimulo, quam juvare vi antiſpaſmodicâ, poſſunt.

Nunc de iis quae conſilium ſecundum ſpectant, agendum eſt, ſcilicet,

II. Quibuſdam ſymptomatibus aut inflammationis ſequelis in morbo occurrentibus obviam ire.

Symptomata peſſima non adhuc memorata ſunt nauſea et vomitus. Initio certe morbi, naturae conamina adjuvanda ſunt parva emetici doſi aut tartari emetici aut ipecacoanhae, vel infuſione florum chamomaeli. Sed tamen,

ſi

ſi vomitus poſtea urgeat, eam compeſcere oportet, a ſalino Riverii julapio in effervescentiae actu; ſed, hoc non ad vota ſuccedente, opii doſis parva danda eſt; ſed cavendum eſt, ne alvus ab eo aſtringatur.

Si omnes conatus noſtri, ad hanc inflammationem reſolvendam incaſſum evaſerunt, et ſuppuratio ſuperveniat, tunc morbus multum protrahetur, et de aegra diu in dubio erit, donec ſanies purulenta viam ſibi aperiat, qua e corpore effundatur; et collectiones tales haud raro obſervatae ſunt, et multae a ſtatu tali ſanae evaſerunt. Si abſceſſus viam ſibi molitur externe, tunc fomenta et cataplaſmata emollientia applicanda ſunt parti tumenti, et quando tuto fieri poteſt, ſcalpello eam aperiri debet, et ita ſaniem evacuari. Sed neque exempla deſunt, ubi ſanies vagina aut etiam inteſtinis eroſis inde evacuata fuit, et hiſtoria hujuſmodi in priore hujus diſſertationis parte enarrata eſt. His in caſibus ſaniei egreſſus conſervandus eſt, alvi dejectiones moderate conciliandae, et aegrae vires ſuſtinendae cortice Peruviano, vel aliis tonicis et antiſepticis.

Si praecavere non poſſumus gangraenam, vereor ne medicina poſtea inutilis evadat. Gangraena enim harum partium inſanabilis erit, et mors, aerumnarum requies, poſt horas paucas ſequetur.

Quod

Quod ad aegrae diaetam ſpectat, certe regimine antiphlogiſtico arcte utendum eſt. Igitur demulcentia et aceſcentia, ſicut ſorbitiones oryzae, pulticulae et ptiſanae cum fructibus horaeis, optima erunt. Morbo ingraveſcente, quando aegrae vires multum proſternuntur, vini quoque parva copia aliis cibis addenda eſt.

Lux vivida, ſtrepitus, et omne irritans vel animum movens maxime nocebunt, ideoque omni cura vitanda ſunt.

METHODUS SPECIALIS

Quam pater meus apud Kiddermonaſterienſes feliciter ſecutus eſt.

Quando febris et dolores graves urgebant, ſanguinem niſi antea miſſum ſtatim mitti juſſit. Si vomitu bilioſo aut nigro vexabatur aegra, plerumque ventriculus chamomaeli infuſione, aut emetico alio, evacuari curavit; ſed, ſi vomitus adeo violenter urgebat, ut aliquid antiemeticum neceſſarium eſſet, tum miſtura Riverii ſalini in effer-veſcentiae actu dabat. Sin minus olei ricini unciam unam

alteramve

alteramve pari ſacchari ſpiritus aqua multa diluta quantitate mixti (quod optime hoc medicamentum vehere experientia docuit) juſſit, et poſtea emulſionem hujuſmodi *; et dein clyſma ex ſemuncia ſacch. communis, in aq. calid. lb. i. ſoluti, quod melius reſpondere ſolet, quam olea aut purgantia, quae vulgo praeſcribuntur.

Alvo ita ſatis morbi initio purgatá, ſebris et dolor mirum in modum horarum viginti quatuor ſpatio levantur. Sed tamen pleriſque in caſibus alvus poſtea ita ducenda erat, ut vitae vires non nimis frangantur, donec febris et dolor omnino ceſſaverint.

Febre pacatâ, lochia plerumque redeunt, et foetor reditum eorum comitans clare demonſtrat fomitis naturam, qui certe hunc morbum maxime auget. Lac quoque, ſi ſuppreſſum fuerat, nunc iterum ſecernitur.

Aegram

* R. Emulſ. com. lb. i. mannae unc. ii. Sal nit. dr. ſ. fiat emulſ. cujus cap. cochl. 3. omn. hor.

vel

R. Tamarind. mannae āā unc. ii. coque ex aq. hordeat. lb. i. ſs ad lb. i. Colaturae adde tart. ſolub. unc. i. ſacch. alb. unc. ſs. Tart. emet. gr. iii. fiat apozem. aperiens. Cap. cochl. iii. bis vel ter die pro re nata.

Aegram amplo conclavi decumbere curavit, ubi multum et purum aërem trahere poſſit, portu et feneſtris ſaepe apertis, pavimento ſaepe verſo et aquâ et aceto ſparſo.

Pro cibo ptiſanam, pulticulam tenuem, et decoctum avenaceum adminiſtravit, et ſerum lactis cum vino praeparatum quoque concedere ſolebat; ſed plerumque primo morbi ſtadio vinum parca manu dedit, et liquores ſpirituoſos, aeque ac juſcula animalia, et omne genus cibi animalis, omnino vetuit.

Linteamina circa corpus et ſupra lectum ſaepe mutari fecit, ut pura eſſent.

Plerumque aegris ita tractatis febris vis multo frangitur die quarto vel quinto, et nulla manet die ſeptimo; ſed aliquando, ſi poſt hoc tempus perſtiterit, aegram compunctiones pleuriticae afficiunt a metaſtaſi inflammationis a partibus juxta uterum ad eas pectori vicinas, et hanc inflammationem curavit regimine antiphlogiſtico et ſanguinis miſſione, ſecundum vim aegrae, non ſecus ac pleuritis communis curari ſolet.

Quandoque etiam febris poſt diem ſeptimum vel nonum perſtans omnino putrida fiebat, tunc diarrhoeam moderari tentavit, et vinum et corticem Peruvianum et alia antiſeptica libere dedit.

Obſervationibus noſtris ita abſolutis, priuſquam finem huic diſſertationi imponam, haud abs re erit dicere, quod fere omnes, quae hoc modo morbi initio tractatae ſunt, ſanae evaſerunt, et illae ſolae, quibus morbi initio aut nulla remedia aut medicamenta cardiaca data fuerant, aut quae aliter male tractatae fuerant, perierunt, et haec febris apud Kiddermonaſterienſes omnino ceſſavit in illo vico et vicinia cum anno 1777.

Hanc morbi hiſtoriam deduxi ex illarum hiſtoriis, quae ibi loci decumbebant, quarum nonnullas ipſe vidi, pleraſque vero a patre accepi, cujus officia amoris nunquam mihi erit facultas recenſendi; ille me primum in aegrorum conclaves duxit, et mihi morbi faciem indicavit, et prodiga manu omnia perfecit, quae optimus pater et praeceptor facere potuit. Spero igitur conatus meos (quicquid de explicationibus aut theoriis fiat) non omnino inutiles fore.

Sed,

Sed, etſi haec phaenomena apud Kiddermonaſterienſes apparuerunt, et haec methodus medendi illic optime ceſſit, veriſimile eſt, febres puerperales ab hac multum diverſas, diverſamque medelam poſtulantes, in aliis locis et temporibus occurrere; ſcilicet, ubicunque febres putridae multum graſſantur, puerperalis morbus hujus formam inducere poteſt. Hinc, ut opinor, variae deſcriptiones varia cura ab auctoribus traditae.

Nihil magis admiratione dignum, nihil magis incomprehenſibile, quam varietates, quae in morbis epidemicis obſervantur; quae igitur ſummam medicorum curam et ſolertiam requirunt, et praxin medicam empiricam, inſigne artis opprobrium, faciunt.

Nunc huic Academiae valedicturus, ingrati animi forem, niſi faterer, quantum omnibus Profeſſoribus ejus debeo, ſed praecipue Culleno et Gregorio, illi pro beneficiis multis, huic vero pro benignitate ſumma et amicitia, qua me ſemper accepit, multiſque exemplis demonſtravit.

F I N I S.